



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXXVIII. Quomodo rigorem circa subjectos observaverit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

ejus imaginem satis parvam propè se in cella fixam, & dum à foris adversitas sibi mota fuit, manu hanc Crucifixi imaginem arripiens in hæc verba ad assidentes loquebatur: *Iste, cujus hac Imago est, protector erit & defensorabit.* Hanc parvam imaginem ex devotione, qua in Christum ardebat, postquam vitâ functus esset, poni petivit in sarcophago supra pectus suum, quod & factum fuit. Plura alia sinceri ejus in Crucifixum amoris signa (quæ in Chronica sunt notata) ob angustiam temporis adjungere supersedeo, ex modò positis pius Lector velut ex ungue Leonem facile cognoscet.

C A P U T XXXVIII.

Quomodo rigorem circa subjectos observaverit.

Quia prædictus Prior rigorem magnum circa spiritualem disciplinam habuit, & observavit, multis de nostris notum esse constat, qui sub ejus disciplina eramus, & sicut idem Prior spiritualis vir in moribus erat & in vita, ita pari modo ut subditi essent, sollicitè laboravit: non ut Fratres ejus timore pænæ, sed amore & fervore observarent observanda, insuper ut ad observantiam, quam servare debebant eò facilius pervenirent, ideo varia & humilia cum iisdem ad hoc instituit exercitia, quibus seipso exercentes laborum suorum vota perficere possent cum affectu. Instituit, ut Lector mensæ, quamvis parum aut nihil titubasset in Lectione, tamen ad humilitatis exercitium lecta lectione ante Præsidentem in genua se prosterneret, & per hoc sese tanquam reum & culpabilem coram omnibus innotesceret, nec à terra surgeret nisi jussus. Instituit insuper, quòd temporibus Capituli culparum aut etiam alijs temporibus, quando sibi hoc bonum visum fuerat, ut pro pænitentia agenda quidam ex Fratribus in genua prostrati orationis Suffragium ab his peterent, qui ante refectionem aut etiam collationem ingressum peterent, ut se reficerent.

L

CAPUT